DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICO-CHIRURGICA

DE

NEPHROTOMIA

QVAM
CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM
IN
ACADEMIA GRYPHICA ORDINIS
DECANO AC PROMOTORE

DN. ANDREA WESTPHAL

MED. DOCTORE ET PROFESSORE REGIO ORDINARIO
ACULTATIS MEDICÆ SENIORE ACAD. CÆRAREÆ NATURÆ
CURIOSOR. ET ELECT. MOGUNT. SCIENT.
UTILIUM SODALI

PRO
SUMMIS IN ARTE MEDICA ET CHIRURGIA
OBTINENDIS HONORIBUS
DIE MARTII A. O. R. MDCCLXVI
ERUDITORUM CENSURÆ EXHIBUIT

ZACHARIAS FALCK
SVECUS.

GRYPHISWALDIAE
TYPIS A. F. RÖSE
REG. ACAD. TYPOGR.

§. I.

E numero morborum illorum, quibus genus humanum eſt obnoxium, atque expoſitum, nullus, ſuffragante experientia, & conſenſu fere omnium, eſt reperiundus, qui acerbioribus, atrocioribusque doloribus, ac cruciatibus, totum plerumque corpus concutientibus, atque conquaſſantibus, eſt conjunctus, quam quidem ille, qui calculo, cujusque cauſam, omnes homines in ſe habent, perpetuoque alunt (a), ſive in renibus, ſeu in ureteribus, ſeu denique in veſica urinaria hærente, ſuos debet natales.

(a) Verſatur *Illuſtr.* L. B. van SWIETEN, *Comment. in Herm. Boerhaave Aphor.* T. III. p. 745, ea in opinione, urinam ſaniſſimi hominis, etiam nullam diatheſin calculoſam habentis, continere in ſe calculi materiam, ſed ſolutam, facile tamen unicuique corpori contiguo accreſcibilem: & cum quibus conſpirant illa, quæ ANTONIUS de HAEN, qui inter artis proceres, primarium ſibi vindicat locum, in *Rationis medendi* P. V. p. 172 & 173, in medium protulit.

§. II.

Quare etiam, dum omnia, ad hoſtem hunc, deliciis & dulcedini vitæ humanæ infenſiſſimum, debellandum, profli-

gandumque, excogitata remediorum internorum genera, sive jam per os, fuerint assumta, sive per clysteres in urethram injecta, nomineque lithontripticorum (b) insignita, effectu omni plerumque destituebantur, ac spem ægrotantium fallebant, ab antiquissimorum temporum memoria (c), illi, qui leniendis, demulcendis, tollendisque ægritudinibus hominum, se, suamque operam devoverunt ac consecrarunt, de ejectione calculi manuum suscipienda ministerio, fuerunt solliciti.

(b) Graviori semper disputatione, virtus & efficacia medicamentorum illorum, quibus attributa fuit vis, calculum dissolvendi, resolvendi, comminuendi, frangendi, rumpendi, conterendi, attenuandi, friabilem reddendi, ac tandem e corpore eliminandi, educendique, fuit excussa: siquidem quidam plane negarunt, dari remedia, calculum confringentia; alii vero existentiam ejusmodi remediorum, propugnarunt acerrime. Et, quamvis experientia, negantibus, palmam victoriæ, fere in hunc usque diem concesserit, nihilotamen minus, nostro ævo, reticendo ut jam subterfugiam, novum illud lithontripticum, quod a JOHANNA STEPHANIA, Angliæ incola, summus Angliæ senatus, magno pretio redemit, & publici anno 1735 juris fecit, detecta fuerunt remedia, quæ, si etiam calculum, non resolvunt, comminuunt, frangunt, & comminutum, solutumque e corpore educunt, attamen vi gaudent, tormenta, a calculo provenientia, aut mitigante, aut symptomata omnia sic auferente, ut se curatos putent ægri. Pertinent ad horum remediorum censum, UVA URSI, AQVA CALCIS, cum quæ ex lapide calcareo, tum quæ ex ostrocodermatum calce, præcedenti duplo efficacior, confecta est, ac partim cum sapone veneto, partim cum lacte, mixta, non modo per os assumenda, sed etiam in vesicam injicienda urinariam, & denique OSTREÆ FLUIDÆ (LIQVID SHELL), e ostreis cum sale ammoniaco fusis, paratæ. Et quidem Uvæ ursi insignem vim lithontripticam, imprimis ANTONIUS DE HAEN R. M. P. II. p. 160. P. IV. p. 253, & P. V. p. 149: ut & Dn. D. MURRAY in Disp. de *Uva ursi*, magnis encomiis celebrarunt: Aquæ vero calcis, in curando calculo efficaciam, ROBERTUS WHYTT, in *Actis Med. Edinb.* Vol. V. p. 873.

Vol.

Vol. VII. p. 318, CRANZIUS *Mat. med.* T. II. p. 150, LIETAUD in *Synopsi Univ. Prax. Med.* p. 916, & Ostrearum fluidarum, parem virtutem, DIETERICUS WESSEL LINDEN in *Act. Med. Edinb.* Vol. VII. p. 563, multis laudibus fuerunt prosequuti.

(c) E jurejurando non modo HIPPOCRATIS, ac in quo discipulos suos calculosorum sectionem, non quidem eam ob rationem, quia eandem lethiferam, crudelem, & ab omni humanitate alienam, sed solummodo admodum arduam, & difficilem, reputavit atque existimavit, prohibuit, adeas PLATNERI *Instit. Chirurg. rat.* p. 934 & 935; sed etiam e CELSI Lib. VII. Cap. XXVI. GALENI cum *Isagoge* Cap. XVIII. tum *Comm. ad Aphor. Hippocratis* XVIII. Sect. VI., PAULI ÆGINETÆ Lib. I. Cap. LX. & Lib. III. Cap. XLV., colligi poterit atque hauriri abunde, jam vetustissimos Medicos, ab instrumentis Chirurgicis, ad curandum calculum, petiisse præsidia. Imo, CELSUS fidem facit, AMMONIO, quique post HIPPOCRATIS tempora vixit, jam cognomen Lithotomi, fuisse impositum, quod ferramentum repererit, calculo majori in vesica findendo aptum. Et GALENUS memorat ferramentum, quo ad explorandum calculum vesicæ utimur, ab ERASISTRATO καθητηρ nominatum fuisse. FLORUS vero in *Epit. Livii*, Lib. LV. narrat, Alexandri filium, regem Syriæ, decem annorum puerum, occisum fuisse, corruptis Medicis, qui eum calculi dolore consumi, ad populum mentiti, secaverunt.

§. III.

Inprimis autem, cum temporibus a nostra ætate remotissimis, tum etiam recentioribus, & recentissimis, salutis humanæ custodes & vindices acerrimi, studium atque industriam omnium, in calculi, ex vesica urinaria exemtionem, expresserunt, ac qua occasione, methodi illæ variæ, negotium hoc perficiendi, scilicet METHODUS cum PARVO APPARATU, aut CELSIANA, aut GUIDONIANA, METHODUS cum MAGNO APPARATU, seu MARIANA, METHODUS ALTA, seu HYPOGASTRICA, seu FRANCONICA (d), METHODUS FRATRIS JACOBI, quæ etiam RAVIANA, CHELSELDENIANA, & LATERALIS vocatur, & denique

nique FOUBERTIANA, excogitatæ fuerunt, inventæ, atque excultæ.

(d) Methodum altam, ſiquidem eadem 1) collum veſicæ urinariæ non læditur, hincque nulla remanet incontinentia urinæ, 2) neque veſiculæ ſeminales, neque poſtata, vulnerantur, contunduntur, denudantur, neque fiſtula in perinæo ita relinquitur, & quæque omnia, alias operationes, fere ſemper inſequuntur, & 3) ipſa vulnera, abdomini & fundo veſicæ inflicta, facile recreantur, atque reficiuntur, ſi ægroto, peracta operatione, debita medela paratur: præ omnibus aliis commemoratis methodis eniteſcere, ad liquidum inprimis perduxerunt, HEISTERUS, in Diſp. de *Alto adparatu*, ut & in *Inſtit. Chirurg.* P. II. p. 895, ELLERUS, in denen Medicinischen und Chirurgischen Anmerkungen des Lazareths der *Charite*, p. 188 ſeq., qui & inſimul p. 183. & ſeqq. una cum JOH. ZACH. PLATNERO in *Inſtit. Chirurg. rat.* a p. 934, ad 957. ut & SCHURIGIO, in *Lithol. Hiſt. Med.* varias lithotomiam adminiſtrandi methodos, hiſtorice pertractavit, & diſquiſivit.

(e) Adeas KESSELRING, *Hiſtoriam & examen Methodi Foubertianæ adminiſtrandi lithotomiam, ſuper acu triquetra.*

§. IV.

Ac, quum duce & magiſtra experientia, cauſa dolorum, tormentorum, cruciatuumque calculoſorum, non ſemper eſt conjicienda, in calculum, in veſica urinaria, ſedem ſuam ac domicilium, qui poſuit ac collocavit, ſed iidem ſæpius etiam a calculo, renibus & pelvi incluſo, proveniant, quidam (§. V.) præcipiunt, ſecandos eſſe per ipſum dorſum & lumbos renes, atque per vulnus inflictum, ad pelvium usque, ſi neceſſitas efflagitaverit, aliquando continuandum, calculum extrahendum. NEPHROTOMIÆ nomen, huic audaciſſimæ operationi chirurgicæ, fuit inditum, ac de qua, veteres Medici Græci & Latini, nullam in ſcriptis ſuis mentionem injecerunt. Temporibus autem Arabum, extractionem calculi e renibus fuiſſe celebratam, vel inde elucеſcere poteſt, quia AVICENNA (f), & SERAPION (g), eandem improbarunt ac rejecerunt.

(f) *Lib. III. Fen. XVIII. Tract. II. Cap. XVIII.*

(g) *Prax. Tract. IV. Cap. II.* Conf. & FREINDII *Hist. Med.* p. 302. *Commentarii Acad. Reg. Chir. Par.* P. III. p. 280.

§. V.

An vero unquam operatio hæcce (§. IV), in viventium renibus, calculo affectis, de cætero in integritate adhuc constitutis, salva permanente ægrotantis vita, suscepta vere, ac instituta fuerit, res est, quæ partim ex suis dubiis nondum est explicata, partim vero etiam, quæ diu ducta est in altercationem. Illi, qui operationis commemoratæ sunt auctores ac suasores, atque eam bono cum successu, præsertim circa ilia institui posse, afferunt, & inter quos in primis sunt numerandi, JACOBUS COUSINOT, de BORDEU (h), ROUSSET (i), & ROBINSON (k), causæ suæ præsidium quærunt, partim in exemplo illo, quod in *Historia Galliæ*, a MEZERAIO edita, occurrit, partim in Historia consulis HOBSONII, ac e cujus rene, calculum, ope incisionis, cum insequente perfecta sanitate, eduxisse perhibetur, DOMINICUS MARCHETTIS. Illud a FREINDIO (l), ad dictum MEZERAII, his expositum est verbis: „Parisienses Facul„tatis Medicæ Doctores, cognito Lictorem quendam Bagno„lettensem, qui calculo graviter laborasset, supplicio damna„tum esse, a rege petierunt, ut is in eorum potestatem daretur, „quo experimentum in eo fieret, utrum inciso ejus rene, edu„ci posset calculus. Adeo feliciter cessit operatio, ut is mul„tos postea annos, sine salutis dispendio vixerit (m).“ Historiam vero consulis HOBSONII, verborum quadam circumscriptione comprehendit, CAROLUS BERNARDUS (n). Conveniunt & cum his, observationes illæ, quas de peracta felici calculi, e renibus adhuc integris exemtione, in foemina non modo, sed & viro quodam nobili, exhibuerunt, CAMERARIUS (o), & CARDANUS (p).

(h) In Quæstionibus: *An renibus integris calculosis ferrum.*

(i) *Part. Cæsar.* Assert. p. 222 seq. & in *Enfant. Cæsar.* p. 78. vid. & *Com. A. R. Ch. Par.* Tom. III. p. 281. seq.

 (k)

(k) In Tr. de *Arenulis & Calc.* P. II. C. V. it. peculiari de *Nephrotomia* edito ſcripto, quod prodiit Londini 1734. vid. & *Comment. Acad. Reg. Chir. Par.* T. III. p. 287. ſeq.

(l) *Hiſt. Med.* p. 303.

(m) Eandem hiſtoriam, ex MONSTRELETI *Supplemento*, in una aut altera re, tamen diverſam, & quidem ſecutum in modum, narrat PARÆUS *Operibus* p. 748. „Immunis quidam ſagittarius, ex Medono, quatuor a Lutetia miliaribus, propter latrocinia damnatus erat rei capitalis. Interim a medicis, Regi renunciatum eſt, „multos ea tempeſtate calculoſis torminibus Lutetiæ divexari, & „præ ceteris Boſci Dominum: e re & ſalute multorum futurum, ſi „partes ipſas, in quibus tam dirum morbi genus concreſceret, oculis luſtrare & contemplari daretur. Longe id melius in vivo homine, quam in mortui cadavere, perſpici. Experiri id licere, „in ſagittarii immunis morti additi, & olim his malis diſcruciari „ſoliti corpore. Impetratum a rege eſt: itaque recluſo corpore, „ſpirantes partes contemplati, & ex voto rimati ſunt Medici, hisque diligenter & exacte conſultis, ac ſuo loco reſtitutis, juſſu regis conſutum eſt corpus, qua recluſum fuerat, & ſummo ſtudio „adhibito curatum. Ita factum eſt, ut ſagittarius ille, inter paucos dies convaluerit, culpæque venia impetrata, grandi inſuper „pecunia donatus.“ Conſulas & SCHENCKIUM in *Obſerv.* T. I. p. 887. HARDERUM in *Apiar. Obſerv. Med. Obſerv.* LXXVIII. *Schol.* SILVATICUM in *Cent.* III. *Conſil.* LIV.

(n) In *Transact. philoſoph.* anni 1696. N. 223. Artic. II. T. III. p. 188.

(o) ex SCHENKII *Obſerv. Med. Lib.* III. *Curat. nephrit.* Obſerv. VIII.

(p) De *Rerum varietate* Lib. VIII. Cap. XLIV.

§. VI.

Et certe, veritate ſi tuerentur, cnmmemoratæ illæ (§. V.) relationes hiſtoricæ, de fauſto & fortunato eventu, ſectionis renum integrorum, calculi ex iisdem extrahendi cauſa, inſtitutæ quæ fuerunt, forte eædem, in exemplum imitationis, poſſent

possent proponi. Verum enim vero, quod attinet ad lictorem Bagnolettensem, nondum est certum, exploratumque, num idem, calculo aut renum, aut vesicæ, laboraverit: siquidem MEZERAIUS (§. V), & MONSTRELETUS (Not. m) hac de re, inter se non conveniunt. Hinc etiam, CALOTUS, MERY (r), aliique (s), adstruxerunt, lictorem Bagnolettensem, non detentum fuisse, doloribus, a calculo in renibus hospitante, sed a vesicæ calculo, oriundis, adeoque eundem, non nephrotomiam, sed lithotomiam sustinuisse. Imo, TOLETUS (t), in eam ingressus est opinionem, lictorem dictum, neutiquam calculo, sed volvulo potius, expositum fuisse. Accedit adhuc, rem gestam, non a Medicis, sed tantum Historicis, cognitione medica sufficienti ac debita destitutis, fuisse enarratam. Et, peracta exemtio e renibus consulis HOBSONII, vel ideo in dubium, a multis vocatur, dum neque DOMINICUS de MARCHETTIS ipse, neque alii, qui operationi aut interfuerunt, aut in eadem administranda, manus præbuerunt auxiliatrices, nil de eadem posteritati reliquerunt. Illa vero, quæ CAMERARIUS & CARDANUS, de suscepta felici, e renibus integris, calculi extractione, tradiderunt, non experientiæ eorundem propriæ, sed tantum relationibus & fide aliorum, nnituntur.

(q) In Tr. de LITHOTOMIA.

(r) In *Observ. sur la Maniere de tailler dans le deux sexes* p. 2.

(s) Auctores *Observ. Historico criticarum*, de *Origine & progressu Chirurgiæ in Gallia.*

(t) in Tr. de *Lithotomia* Cap. XV. p. 140.

§. VII.

Præterea multæ, eædemque gravissimæ, obstant rationes, quæ renis, tantum calculo gravati, de cætero vero integri & sani, sectionem prohibent, atque dissuadent. Namque, nequeunt renes, situm profundum, qui comprobante Anatomia, obtinuerunt, tundi, pro calculi extractione, nisi dissectis una cum integumentis, musculis satis crassis, horumque ten-

tendinibus, hinc fractis costis spuriis, & processibus transversis vertebrarum lumbarium: ipso tandem Psoa musculo, cui ren maxime incumbit, atque adhæret, late inciso. Hæc itaque omnia, cum antea fieri oporteat, quam latentis calculi aperire posses hospitium, non difficile est judicatu, talem chirurgiam, vel in cadaveribus, nedum vivis in corporibus, laboriosam valde, admodumque difficilem futuram. In vivis certe, si non prorsus, atque omnino impossibilis, saltem periculosissima, & ex qua maximum vitæ periculum imminet, videtur, præsertim, si & vasorum, sanguinem fundentium, quibus renum cumprimis natura abundat, & neruorum sat magnorum, hocce visus sæpe transeuntium, rerumque aliarum, non procul ab eodem sitarum, scilicet aortæ, ductus thoracici, mesenterii, pancreatis, hepatis, lienisque læsiones vix ac ne vix quidem euitandas, consideremus: immo vel eam ob causam detestabilis, quod novam prohibere nequeat calculi foeturam. Ita vero, quoties alii ex aliis succrescerent calculi, toties renum sectio instauranda esset, atque reiteranda.

§. VIII.

Dein, & aliæ difficultates maximæ, nullaque arte superandæ, renum integrorum sectionem premunt. Signa etenim quæ præsentiam calculi in renibus, probant atque demonstrant vix semper sunt certa. Denegata est utplurimum facultas atque potestas, figuram, domicilium, & situm calculi, explorandi. Sectiones namque anatomicæ, sæpe docuerunt, calculos in renibus, ita esse inclusos, ut absque eorundem dilaceratione & destructione, ac quæ, cum hæmorrhagiæ vix compescendæ, tum summæ inflammationis, gangrænæ sc. & sphaceli, causa existit certissima, vix unquam ex trahi potuissent. Aliquando nonsolum renes, sed etiam ureteres, calculis & arena calculosa, sunt adimpleti atque referti. Neque desunt etiam observationes, e quibus patere potest, a calculis etiam haud raro, utrosque renes fuisse occupatos.

§. IX.

Jure ideo meritoque, AVICENNA (u), SERAPION (w), PIGRAY (x), FIRNIUS (z), ZACHIAS (aa), BLANCARDUS (bb), DIONIS (cc), TULPIUS (dd), NEBELIUS (ee), RUYSCHIUS (ff), HEUCHERUS (gg), STOCKHAUSEN (hh), MUSQVETTE (ii), JUNCKERUS (kk), PLATNERUS (ll), DOUGLAS (mm), LAFFETTE (nn), & HEVIN (oo), FRANKENAU (pp), de SORBAIT (qq), ſectionem renum integrorum, e numero inſtituendarum operationum chirurgicarum, eſſe proſcribendam, eliminandamque, & voluerunt. Immo, ipſe ROUSSETUS difficultatem, gravitatem, & periculum, cum ſectione renum, nulla nondum labe purulenta infectorum, conjunctum, fatetur (rr).

(u) L. cit. §. V. lit. f.
(w) L. cit. §. V. lit. g.
(x) In *Epit.* de *Præced. Med. & Chirurg.* Lib. VII. Cap. IV.
(z) In libro de *Præcipuis artis Chirurg. controv.*
(aa) *Quæſt. Med. leg.* Lib. VIII. Tit. II. Quæſt. XIV.
(bb) In *Obſerv. Med.* T. II. Cap. IX.
(cc) *Operat.* de *Chir.* etc.
(dd) in *Obſerv. Med.* Lib. IV. Cap. XXVII.
(ee) in Diſput. de *Lithotomia.*
(ff) in *Obſerv. Anat. Chirurg.* Obſerv. XV.
(gg) in Diſp. de *Calculo per adſtringentia pellendo.*
(hh) in Diſp. de *Calculo renum & veſicæ, Pathol. Hippocratis confirmata.*
(ii) in Quæſtione, *an renibus integris calculoſis ferrum.*
(kk) in *Conſpectu Chirurg.* T. XCVIII.
(ll) in *Inſtit. Chirurg. rat.* p. 934.
(mm) *Actis Med. Edinb.* T. I. Obſerv. XXI.
(nn) *Comment. Acad. Reg. Chir. Par.* T. II. p. 209. ſeq.
(oo) *Comment. cit.* T. III. p. 274.
(pp) *Sat. Med.* VII. Not. III.
(qq) *Med. Pract.* T. I. Cap. LXX. *Quæſt. I.*
(rr) Prob. de *Arcig. Mudon.* it. de *Part. Cæſar.* vid. & *Com.* cit. T. III. p. 282. it. 314.

§. X.

Sed aliquando, calculo in rene latenti, ob nimiam partim quam concepit magnitudinem, multasque inſuper, quibus haud raro præditus eſt eminentias, & radices, per renem diſperſas (ss), tranſitus ad peluim eſt præcluſus; partim vero, idem ille, poſtquam iter ſuum, usque ad initia peluis abſolvit, cavitatem ejusdem non poteſt ingredi, ac quod accidit, ſi calculo ante eandem, ſitus conciliatur obliquus. Hæc dum contingunt, atque eveniunt, calculo, obex inſuperabilis, per ureteres ad veſicam urinariam perveniendi, adeoque etiam e corpore egrediendi, ponitur. In renibus hinc, remoras non modo patitur diuturnas, & inexpugnabiles, ſed etiam ſucceſſu temporis, majorem acquirit magnitudinem, ſiquidem materies calculi, qua gaudet urina, ſaniſſimi etiam hominis, ſicque multo magis, diatheſin calculoſam habentis, calculo jam præſenti, tanquam corpori contiguo, indies accreſcit (§. I. lit. a). Irritantur ideo, gravantur, premuntur, a magnitudine & emientiis calculi, renes, ſanguisque & humores, in locis irritatis, gravatis, preſſis, ſtagnant, ſtaſinque concipiunt: ac quæ omnia, ſunt & exiſtunt, cauſæ graviſſimæ & maximæ, inflammationis, putredinis, corruptionis, & abſceſſuum in renibus ortorum, ac quorum naturam & proprietates, omnium optime expoſuit, magnus ille & celeberrimus Gallorum Chirurgus, le DRAN (tt).

(ss) Sic enim in renibus viri cujusdam, repertus fuit calculus, ab amplo caudice initium ſumens, in octo ramos, juxta canaliculorum vaſis urinarii formam atque numerum diviſus, coralli truncum & ſurculos, elegantiſſime æmulans. In foeminæ nephriticæ cadavere, inventus fuit calculus renalis, varia habens brachia. Et e alius viri renibus, aperto poſt mortem cadavere, protractus fuit calculus, multis alis, ſeu cornubus, vel radicibus, præditus vid. BONETI *Anat. Pract.* T. II. p. 566.

(tt) in *Operat. Chirurg.* p. 263 ſeq.

§. XI.

Abſceſſus in renibus, a calculo orti atque enati (§. X), quandoque exteriora verſus tendunt, lumbosque cum in tumorem attollunt, tum etiam hoc in loco, ſua ſponte rumpunt, & una cum pure effluente, bonis cum ægroti rebus, & ſanitatis perfectæ reſtitutione, calculum aut inſimul protrudunt, & ejiciunt, aut ejusdem extractioni, inſtrumentorum chirurgicorum ope, quæ eſt tentanda, anſam præbent & ſubminiſtrant, ac quorum omnium veritatem, auctoritate atque fide ſua, corroborarunt, FERNELIUS (uu), ROUSSETUS (ww), SCHENCKIUS (xx), JONSTONUS (zz), RIVERIUS (aaa), BARBETTE (bbb), BONETUS (ccc), CÆLIUS RHODIGINUS (ddd), PANAROLUS (eee), PAULINI (fff), DENISIUS (ggg), CALOTUS (hhh), ROONHUYSEN (iii), MERY (kkk), LAFFETTE (lll).

(uu) *Pathol. L. VI. Cap. XII.*
(ww) De *Partu Cæſar. Sect. III. C. VII.* & *Problemate de Arcigero Mudonenſi* p. 486.
(xx) *Obſerv. Med. Lib. III. Curat. nephrit. Obſerv. VIII.*
(zz) *Idea univerſ. Med. Pract. Lib. X. Artic. V.*
(aaa) *Prax. Med. Lib. VIII. Cap. III.* p. 53.
(bbb) *Chirurg. T. I. Cap. XXVI.*
(ccc) *Polyalth. Lib. IV. Cap. LIX.*
(ddd) *Antiqu. Lect. Lib. III. Cap. X.*
(eee) *Obſerv. Pentec. V. Obſ. XLII.*
(fff) *Obſerv. Phyſ. Med. Cent. III. Obſ. LXXV.* & *M. N. C. Dec. II. Ann. VI. Append. Obſerv. XLIV.*
(ggg) De *Calc. C. I.* p. 13.
(hhh) Tr. de *Lithotomia* p. 36.
(iii) *Obſerv. P. I. Obſerv. XXII.*
(kkk) *Obſerv.* de *Lithotom. in utroque ſexu adminiſtranda* p. 2 ſeq.
(lll) *Comment. Acad. Reg. Chir. Par. T. II.* p. 203 ſeq.

§. XII.

Si itaque, manuducente & viam monſtrante natura (§. I), & præſentibus inſimul ſignis, quæ arguunt, probant, & demonſtrant, renes, vel a calculo in eodem latitante, vel ab alia

quadam causa, factos esse purulentos, inprimis vero, si purulenta materia, per partes externas, exitum suum quærere, molitur, pariter atque contendit, & quod e tumore, vel lumbos occupante, vel prope spinam dorsi animadvertendo, elato, & ad tactum fluctuante, suspicandum erit; tunc, nisi idem sua sponte fuerit ruptus, non modo locum in lumbis, & prope spinam dorsi tumentem elatum, scalpello esse aperiendum, sed etiam, necessitas si postulaverit, ipsum renem purulentum, ne purulenta materia, in eodem progenita, ac coaceruata, hecticæ nephriticæ in cavitatem vero abdominis, rupto suppurato rene, & abscessu effusa, corruptioni, aliisque malis, mortem certissimam adferentibus, viam pandat, atque aperiat, esse incidendum, calculumque, idem si ibidem delituerit, esse extrahendum, rationi & experientiæ innixi, suadent & præcipiunt, RIOLANUS (mmm), BEVEROCIUS (nnn), SEVERINUS (ooo), PANAROLUS (ppp), SENNERTUS (qqq), BONETUS (rrr), WEDELIUS (sss), MEKRENIUS (ttt), ROONHUYSIUS (uuu), PAUL SORBAIT (www), LAVATERUS (xxx), SCHURIGIUS (zzz), de la FAYE (aaaa), HEUIN (bbbb), PLATNERUS (cccc), HEISTERUS (dddd), LAFFETTE (eeee).

(mmm) *Enchirid. Anat. Pathol. Lib. II. Cap. XXVIII.*
(nnn) de *Calc. renum & vesicæ Cap. VIII.* p. 99.
(ooo) de *Medicina efficaci* p. 79.
(ppp) *Pentecost. V. Ob. XLII.*
(qqq) *Med. Pract. Lib. III. P. IX. C. IX.*
(rrr) *Anat. Pract. Lib. III. Sat. V.*
(sss) Disp. de *Lithotomia.*
(ttt) *Observ. Chirurg. XLIX.*
(uuu) *Observ. Chirurg. XXVIII.*
(www) *Med. Pract. Tr. I. Cap. LXX. Quæst. I.*
(xxx) Disp. de *Artriteis & Hypospadiceis.*
(zzz) *Hist. Lithol. Med. Cap. XIII. §. XVII.*
(aaaa) *Comment. in Operat.* DIONIS. p. 180.
(bbbb) *Comment. Acad. Reg. Chir. Par. T. III.* p. 315 seq.
(cccc) *Instit. Chir. rat.* p. 958.
(dddd) *Institut. Chir. P. II.* p. 860.
(eeee) *Com. Reg. Acad. Chir. Par. T. II.* p. 203.

§. XIII

§. XIII.

Præeuntem, in adminiſtranda commemorata operatione, (§. XII.) habent HIPPOCRATEM, ſiquidem idem, de eadem, ſequentem tulit ſententiam, graviſſimam & maximam: „Cum „dolor urget, multa calida lavato, & qua parte præcipue dolor „eſt, tepefactoria admoveto. Ubi vero intumverit & extuberarit, ſub hoc tempus juxta renem ſecato, & extracto pure, arenam medicamentis, urinam cientibus curato. Si enim ſectus „fuerit, evadendi ſpes eſt, alioquin morbus hominem ad mortem usque comitatur — Ubi ergo ren purulentus fuerit, ad „ſpinam dorſi intumeſcit. Hunc cum ita habuerit, qua parte „tumor eſt, altiſſima quidem (apud CHARTER legitur profunda „maxime) ſectione, ad renem ſecato. Quod ſi quidem ſectionem aſſecutus fueris, confeſtim ſanum reddes. At vero ſi „aberraveris, periculum eſt, ulcus fiſtuloſum fieri (ffff).“ MENJOTUS (gggg) equidem, PROSPER MARTIANUS (hhhh), CASTELLI (iiii), HEUCHERUS (kkkk), van SWIETEN (llll), in ea verſantur opinione, HIPPOCRATEM non voluiſſe, renem ipſum eſſe incidendum, nec per ſectionem ipſam, calculum & arenas eſſe educendas, ſed tantummodo, abſceſſus juxta renes eſſe aperiendos. Verum contrarias in ſe partes, ſuſceperunt defendendas, BACHANELLUS (mmmm), HORSTIUS (nnnn), VALENTINI (oooo), LUCAS SCHROECKIUS (pppp), BERNHARDUS (qqqq).

(ffff) Libro de *Internis affectionibus* Edit. *Foeſianæ T. I.* p. 539 & 540.

(gggg) *Diſſert. Pathol.*

(hhhh) in *Not.* in HIPPOCRATIS librum de *Affect.*

(iiii) *Lexico Medico* p. 524.

(kkkk) in Diſp. de *Calculo per adſtringentia pellendo.*

(llll) *Comment. T. I.* p. 262 & *T. III.* p. 240 & 241.

(mmmm) *Conſ. Med. Lib. III.*

(nnnn) *Oper. T. II. Lib. IV. Obſerv. XLVI.*

(oooo) *Chirurg. Med. Sect. III. Cap. VI.* §. 1. p. 223.

(pppp) *M. N. C. Dec. II. An. III.* in *Scholio Obſerv. XX.*

(qqqq) *Transact. Philoſoph.* An. 1699. N. 223. Art. 2. Conf. & HEISTERUS, *Inſtit. Chirurg. P. II.* p. 860.

§. XIV.

§. XIV.

Interdum vero abſceſſus illi, de quibus hactenus ſermo fuit inſti tutus, ob ſitum quem obtinuerunt admodum profundum, fora non prominent, hincque explorationi & cognitioni eorundem nullus conceditur locus. Hoc in rerum ſtatu, ſedulo ante omni erit inquirendum, in ſigna illa, quæ partim inflammationem reni prægreſſam, partim etiam, ex hac natum abſceſſum, indicant Hæc ſi adfuerunt, ægrotusque, doloribus a calculo renali, origi nem ducentibus, qui eſt, vel fuit, expoſitus atque obnoxius, cum difficultate quadam, emittit lotium, ſanguine, muco, pure, & are na calculoſa, mixtum; vel, in fluido hocce corporis excremen titio, conſpiciendum eſt ſedimentum craſſum, mucoſum, turbi dum, ſanguinolentum, purulentumque, in lumborum regione ſub coſtis ſpuriis, prope ſpinam dorſi, quandoque inſimul tenſio quædam, ac gravitas, una cum doloribus interdum obtuſis & vagis, interdum pulſantibus, percipitur, hique, ſuſcepta preſſione externa partis dolentis, augentur, ac ad inguina usque & ſcrotum propagantur, tunc de progenito abſceſſu renali, præſertim, ſi prouti hoc aliquando accidiſſe, experientia edocuit, cum hi omnibus, conjunctus fuerit, tumor quidam oedematoſus, inte gumentorum illorum corporis communium, ſub quibus recon ditus eſt, ac latet abſceſſus, color quamvis cutis non fuerit muta tus, certi eſſe, adeoque tuto, & omni ſepoſito metu, ſectionem ſuſcipere poſſumus.

§. XV.

Et denique, recta quando vulneris & ulceris, aut a natura aut arte, lumbis inducti, habetur ratio, e communibus præceptis artis illius, quæ manu medetur, repetenda quæ eſt: ulceris cal loſi, & fiſtuloſi proventus, facili plerumque opera, poterit præca veri, ſicuti evictum in primis, atque comprobatum dederunt LAFFETTE (rrrr), & HEUIN (ssss).

(rrrr) *Comment. Acad. Reg. Par. Chirurg. T. II.* p. 210 ſeq.

(ssss) *Comment. cit. T. III.* p. 322. Conſ. & PLATNERUS *lib. cit.* p. 439.